

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
ERNESTVS FRIDERICVS
WERNSDORFIUS

SS. THEOL. DOCTOR ET PROF. PVBL. ORDINAR
FACVLTATIS THEOL. SENIOR ET ELECTORAL
ALVMNORVM EPHORVS

ORATIONEM

IN MEMORIAM BENEFICII VATERIANI

D. XVIII. NOVEMBR. CICICCLXXVIII

HORA VIII

IN AVDITORIO MAIORI RECITANDAM

SOLENNITER INDICIT

CIVES QVE AD EAM AVDIENDAM

INVITAT

Biogr. erud.

D. 1687, 52

Vitt Erud. f. - Vol. Va.

*Quid possit virtus, et quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar, Vtly flem;*

HOMERVS:

FLACCO iudice.

Eodem, imo vero potiore, iure, hoc elogium incomparabile VATERORVM nostrorum pari, ABRAHAMO, scilicet, et coniugi viduae, CHRISTINAE MARIAE MARPERGERAE, tribuas. Enim vero, quid religio, pietas, virtus, sapientia, possint, utile, imitabile, nobis proposuerunt exemplar: Sic denuo, *Quos imitemur, habemus.* Quem potissimum in finem prima isthaec, ab Ordine Medico nunc indicanda, pietatis solennia, celebranda sunt.

Nimirum memoriam eius diei, qui ABRAHAMO VATERO, Viro Celeberrimo, Doctori et Professori Medicinae Primario, de hac nostra Academia immortaliter promerito, ante hos septem et viginti annos emortualis, nobis ipsis autem maxime luctuosus, contigit, ex instituto Viduae, Matronae Sanctissimae, CHRISTINAE MARIAE MARPERGERAE, ante hos quatuor cum diu idio annos, placida beataque morte Maritum consequitae, pie grataeque recolendam habemus. Viget adhuc incolumis, prosperiusque deinceps vigebit, memoria Collegae desideratissimi, donec bonis litteris, omninoque Arti nostrae Salutari, suis constabit honos; nostraque, adeo, post Hofmannos ac Weickhmannos, Oratores nostros disertissimos, repetita commendatione non indigebit *Dignos, scilicet, laude viros Musa vetat mori; Cœlo Musa beat; et numquam Stygias fertur ad undas. Inclita Virtus.*

Hoc potius, loco hoc omnium maxime opportuno, agamus, quod nondum ante tentatum est; cum Mariti memoria, memoriam Comparis incomparabilis, numquam satis commendandam, coniungamus; et, quae in nos VATERIA nostra contulit

A 2

amplissi-



amplissima, post hominum memoriam, beneficia, grata enumera-
remus, primoque nostro officio pii defungamur:

Nec Vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis:

Musaque ad inuitos officiosa venit.

Equidem non negauerim, quae, et qualis fuerit, CHRISTIS
NA MARIA nostra; quam claris natalibus et generosa stirpe crea-
ta; quanta parentum cura ac solicitudine ad pietatem, omnis
fundamentum virtutis, ad omnia sibi comparanda sexus sui de-
cora, informata; quam fratrum exemplis et meritorum gloria,
in tramite virtutum confirmata, ad sustentandam generis nobis-
titatem inflammata; quanta fide, prudentia, comitate ac solici-
tudine suum cum ABRAHAMO nostro connubium, per unde-
cim amplius annos, exornauerit; quanta pietate, religione, san-
ctitate, temperantia, frugalitate, modestia, humanitate, officio-
rum praestandorum promptitudine, erga pauperes munificentia ac
benignitate, omnem vitam instituerit, rexerit ac decorauerit; quan-
ta animi magnitudine, fortitudine ac constantia, tot acerbos casus,
parentum, fratris natu maioris, tamquam alterius patris, dile-
ctissimi Mariti discessum, suam adeo orbitatem ac viduitatem,
tot iniquitates, infortunia, septennes belli superioris calamitates,
toties cum eo coniuncta praesentissima capitis pericula, vicinorum
incendiorum furores, et quae reliqua, non enumeranda, rerum
morborumque discrimina, Deo confisa, sustinuerit ac pertulerit;
horum permulta, honoris caussa iam nominati Laudatores Mariti
facundissimi, in primis autem *Publica BERGERI nostri Eloquentia,*
ad Fratris, B. W. MARPERGERI, Viri Summi, memoriam, aeterni-
tati commendandam, nomine Academiae proposita, tetigerunt, et
ad posteritatem commemorarunt; reliqua vero, et quae nouissime
ad vitae exitum, inciderunt, et ab Illa praeclare gesta sunt, ita,
ut diximus euenisse nostrum bene multi, tanquam consciit testes
ac spectatores, aliquod pondus si modo testis habet, cognita ac per-
specta habent, suaque fide confirmare possunt. Quid? quod
haud

haud opus esse videtur, ut hac in re comprobanda alienam fidem
solicitemus; ipsae vltimae suae voluntatis, quas manu sua scri-
psit, tabulae, quem cursum vitae tenuerit ac confecerit, quem in
modum finemque, in collocanda sua largitate, propositum se-
quuta sit; apertissime loquuntur, nosque adeo, ab omni, adu-
lationis, nihil profecturae, suspicione ac crimine liberant.

Ante quam ad ipsas has tabulas progrediamur aperiendas,
quae mox non nisi extremis tetigimus digitis, ea paullo luculen-
tius nunc exprimamus. Genus suum dicit MARPERGERA nostra
ab primo quasi gentis suae auctore, Abauo suo, GEORGIO MAR-
PERGERO, Iudice illo in Palatinatu Superiore Territoriali, CA-
ROLO QVINTO, CAESARI, ob eminentes virtutes, merita, et res
praeclare gestas, sic caro ac commendato, vt illum cum gente
sua vniuersa iure Nobilitatis, cum omnibus priuilegiis ac im-
munitatibus, cum insignibus armorum gentiliis luculentissi-
mis, singulatim et per partes descriptis pictisque, Diplomate,
Ratisbonae die XVIII. April. cIɔIɔXLI. dato, donaret. Quod
Ius deinceps nostra aetate, FRANCISCVS, ROMANORVM IMPE-
RATOR AVGVSTISSIMVS, Abnepoti, PAVLO TACOBO DE MAR-
PERGER, Haereditario in Schiebelsberga, addita Consiliarii
Caesarei dignitate eminentissima, Litteris s. Codicillis, Vien-
nae, d. XV. Martii, A. C. cIɔIɔCCL. perscriptis, integrum con-
seruauit ac denuo confirmauit, his quidem verbis, ad omnem
posteritatem, verae Nobilitatis, virtuti asserendae, caussa, inque
seculi gloriam, commemorandis: *Wann Wir nun gnaediglich an-
gesehen, wahrgenommen und betrachtet, die Ehrbarkeit, Redlichkeit,
adeliches gutes Herkommen, besondere Vernunft, und andere lobliche
Eigenschaften, womit Uns Unser und des Reichs lieber Getreuer, Paul
Jacob von Marperger, Unserer, und des heiligen Reichs Stadt Nürn-
berg Consulent, angerühmet, und des mehrern umstaendlich vorgebracht
worden, was maßen seine Vor- und Eltern, in ihren, seit vielen Jahren
aufgehabten Kriegs- und Civil-Bedienungen, sich, durch unverbrüch-*



liche Treue und Ergebenheit, sowohl um Unsere Vorfahren am Heil. Röm. Reich, Kaiser und Könige, als das Teutsche Vaterland und Gemeine Wesen, bestens verdient zu machen, jederzeit beeifert gewesen; Wie dann in diesem Betracht, weyland Kaiser Carl der Fünffte, GEORG MARPERGERN, in des Heil. Röm. Reichs Adelstand, mildest zu erheben, bewogen worden, cet. Quae, ut manu sua de scripta Sorori reliquit B. de MARPERGER, sic, quae sequuntur, non minus memorabilia verba, tanquam auitae virtutis et genuinae nobilitatis ex aße haeres, adscriptit: Ich bin den 3. Octobr. 1686. und zwar, nach denen, noch salvirten und erhaltenen Nachrichten, aus einer guten Edlen Familie, wie mein see'iger Gross-Vater, (PAVL MARPERGER) der nicht viel aus sich gemacht, in seinem Lebens-Lauffe selbst gemeldet; und ich auch nicht aus eitem Hochmuthe schreibe, weilen ich gar wohl weiß: qui genus iactat suum, aliena laudat; sondern in Betrachtung, daß es auch unter die Wohlthaten Gottes zu zählen sey, wenn man von guten, ehrlichen, rechtschaffnen Leuten, entsprossen, und anbey, jenes vernünftigen Mannes Erinnerung stets vor Augen hat: vide, ne virtus a maioribus acquisita, in te desinat; welche meine Angehörige auch niemals außer Acht gelassen, sie mögen wenig oder viel im Vermögen gehabt haben. Hic ipse vero, p. i. de MARPERGER, ut ore BERGERI nostri id eloquar, magnam iam dudum prudentiae ciuilis, dexteritatis, auctoritatis, amplitudinem obtinuit, publicis in negotiis Franciae Germanicae, vti aliquot Sacri Romani Imperii Ordinum, Noribergensis praecipue Reipublicae, consiliis adhibitus est, ac, delegatus ad solempnes complurium annorum conuentus, ex praeclare factis multum gloriae cepit.

Et quis est, quaeso, qui tanto huic viro, sua ipsius virtute et rerum praeclare gestarum gloria, vere magno ac Nobili, cum sapiente antiquitate non consentiendum sentiat, dotem esse magnam, parentium virtutem, sed illam continenter in oculis ferendam, ad imitan-

imitandum proponendam; NASONE opportuno monitore ac virtutis paeceptore:

Hoc nitor ille tui generis desiderat; hoc est

A Superis ortae nobilitatis opus.

Etenim IVVENALIS consensu:

Stemmata quid faciunt? Quid prodest, Pontice, longo

Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus

Maiorum, et stantes in curribus Aemilianos?

Nihil nos iuuare, nihil prodesse nobis, possunt:

Nam genus, et proaui, et quae non fecimus ipsi,

Vix ea nostra voco.

Tam excelsa mente semper enituit, in veram et vnam nobilitatis originem intentis potius oculis intuens Abneptis GEORGII, Soror PAVLI IACOBI, Matrona nostra humanissima, MARPERGERA, non genus et proauios, sua numquam stemmata iactans. Satis ipsi erat, quos imitetur, habere. Virtutis enim fructus, nobilitatis honor, secus longe, ac noui homines suae philautiae ac insolentiae persuasum habent, ipsi est habitus.

In primis enim ante oculos sibi positam semper habebat, imaginem, Aui Paterni, PAVLI MARPERGERI, ex suo vitae curriculo, quod sua manu conscriptum reliquit, spirantem veluti, Neptemque, ad studium virtutis natam educatamque, sua ad vestigia premenda, hortantem, omninoque inflammantem. Loquamus, liceat, ore CAR. HENR. ZEIBICHI, facundissimi Laudatoris funebris, b. w. MARPERGERI, et in rem praesentem conuertamus, quae Fratri atque Sorori, MARPERGERIS, conueniant, doceantque, quod et qua de caussa, his posterioribus, Noriberga, patria contigerit: Primis annis Hamburgo Noribergam delatus, (filius sc. natu maior,) complures ibi annos, in societate tum parentum, (PAVLI IACOBI MARPERGERI, Consiliarii Aulae et Commerciorum Regii Polonici, et SARAE, natae SYBYRGIAE,) tum Maiorum transigebat. Hic enim com-
mora-



morabatur Aius, PAVLLVS MARPERGERVS, IOANNIS filius,
 GEORGII nepos. Itaque eorum praeceptis ac monitis saluberrimis inflammatos fuisse egregie, qui antea gliscebant in pectore filii ac nepotis, (nepotum) verae pietatis igniculos, nemo dubitabit, qui acceperit, quantis quidem fatis ea aetate Aius ille, purioris doctrinae tenacissimus, agitatus fuerit. Hic anno cœlo cxxvi. ob professionem fidei sanctioris, solo in Verbo Dei scripto innitus, illabefactamque in Principem suum, FRIDERICVM, Electorem Palatinum, tunc temporis proscriptum, fidem, exul ex Palatinatu superiori pellitur, plurium tamen post annorum decursum recipitur. Dum autem ille, sequente statim anno, noua exorta vexatione, ut ab hoc tramite recedat, nullis minis et persuasionibus permoueri se patitur, fit exinde, ut, per dies quatuordecim, carceris publici molestias perferat, iisque in squalore transactis, vrbe cedere patria iubeatur. Hinc ad Suecorum exercitum se confert, armaque in ala, cui tunc BANNERVS praeerat, sumit, quibus ad varios militiae honores euehitur. Ultimo Noribergam ingressus, reliquum ibi vitae spatium consumit, tantoque constantiae ac patientiae experimen-to nepotem (nepotes) eamdem ut indueret mentem, mirifice incendit. Addimus, optimum Senem, annos natum duo de nonaginta, die XIII. Iunii, A. cœlo cxxxxiv. inter pias Liberorum ac Nepotum preces ac lacrymas, diem suum placide beateque obiisse.

Habes hic verae pietatis, fidei, constantiae, patientiae, exemplar, quod MARPERGERA nostra per omnem suam vitam tanto minus suis ab oculis remoueri passa est, quanto magis, a prima iuuentute ad fontes ipsos et primam originem omnis pietatis et sanctissimae nostrae religionis, deducta est; quanto maiori cum ardore et assiduitate, diurna nocturnaque manu, ad extremum vitae, diuini verbi exemplaria versare, domum Dei frequentare, animum auresque sacris orationibus pascere, illas, calamo

calamo exceptas, domi repetere, et in succum veluti ac sanguinem conuertere, in summis habuit deliciis: Siracidis praeceps in primis sibi dictum putabat: Contemplamini prisca secula: *Sehet an die Exempel der Alten!* Quid mirum igitur, si Deo plus, quam sibi, quam hominibus, vixit; si in coelis plus habitauit, quam in terris; si cor eius ibidem fuit, ubi opes eius erant.

Colligebat vero in terris opes, sed non tam sibi, quam aliis, pauperibus maxime. Videbatur enim sibi, se illam Regis respondentis vocem suis percipere auribus: Certo scitote, inquietis, quatenus vel minimo horum meorum fratum fecistis, vos mihi fecisse. Praeter ea vero etiam Rempublicam, bonarum officinas artium, Academias Scholasque, iuuandi flagrabat studio; quumque ipsa esset officiosissima, et ope sua indgentibus liberaliter succurreret, gaudio tamen ac voluptati sibi ducebatur, gratiam referre, et praestita sibi officia, largiter non raro, remunerare; quo quidem modo plus, quam tria millia Thalerorum, paullatim impendit.

Optimo suo iure in censum seminarum doctarum potuisset referri; Solitudinem enim mirifice amans, tanquam *Domiseda*, semper aliquid lectitabat, interque alia, moralia, oeconomica, eiusmodi scriptis magnopere delectabatur, quae ad historiam sacram, ecclesiasticam, ciuilem etiam, item ad historiam naturae artiumque cognoscendam, non neglectis Regionum descriptionibus et Itinerariorum iucunditatibus, faciebant; qua quidem longa, multorumque annorum consuetudine, non vulgarem sibi his in rebus cognitionem ac scientiam, tenaci memoria valens, comparauerat, sic, ut cum viris eruditis, facta sibi copia, locoque opportuno, de his suis deliciis cupediisque perlubenter, modeste tamen, dissereret. Cum eruditis igitur amicitias facile inibat, initas colebat, si qua re, praesertim machinis et instrumentis, physicis, aliis, ex Museo Vateriano communicandis,

B

iuuare



iuuare illos poterat, id sine longa deliberatione ac cunctatione, perlubenter faciebat; in primis que rerum naturalium curiosis, et artis salutaris cultoribus, b. Mariti ad exemplum, impensius fauebat, artis, cui se vitam, totiesque recuperatam prospere valitudinem, debere gratissima profitebatur, florem et incrementum, pro viribus ac facultatibus suis, studiosissime promotura. Quae cauſa quoque inter praecipuas princeps fuit, quam ob rem Museum, a Patre et Filio VATERIS, tanto studio sumtuque collectum, tot annos, non sine multo incommodo ac impendio, integrum conseruari curauerit; sane non in partes disperendum ac diuellendum, nec huic Musarum sedi omnino subtrahendum, licet HEISTERVS, fide WEICKHMANNI in laudata supra Oratione funebri, optati fructum non tulerit, nec ipsa b. VATERIA nostra, admonita etiam, vltimam suam hac in cauſa voluntarem, explicate satis declarauerit. Speremus itaque, quae volumus, sed quod acciderit, feramus.

Satis, opinor, praeparati ad eius modi, quae vix sperare, nedum exspectare, audeamus, ad aperiendas inspiciendasque ultimae voluntatis tabulas, quas b. VATERIA nostra, sui omnino iuris, deliberato animo, modoque b. mariti voluntati consentaneo, nullis fatigata importunis precibus aut captationibus, licet non omni repudiato consilio, cum Codicillis quibusdam condidit, suaque manu, vt solebat, nitide descripsit. Admiraberis profecto, et, qui fieri potuerit, requires, vt Vidua quatuor et viginti annorum, modica hereditate a Marito Professore Sibi relicta, post tot tantasque donationes, erogationes, belli calamitates, aliaque infortunia, tantas tamen opes colligere, tam amplam post se hereditatem relinquere, potuerit. Sed recordatus, Matronae nostrae temperantiam, frugalitatem, parsimoniam, pro dignitate vix satis commode tibi supra a nobis potuisse laudari, mirari procul dubio cessaueris. Exclamat CICERO in Paradoxis: O Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum

gnum sit vestigal parsimonia; additque in Officiis: Res familiaris conseruatur diligentia et parsimonia, iisdem etiam rebus augetur: quod suo quidem experimento ac exemplo VATERIA nostra pulcherrime confirmat. Imo vero mirari prorsus desines, veriores ac limpidiores bonorum omnium fontes, in scripturis nostris sacris, et in Ethica potissimum Davidica, apertos nobis ostensurus: Sic quidem certe fortunabitur homo, Iouae metuens; In eius domo erant opes et diuitiae, eius liberalitate in perpetuum manente; cumque beata nostra Matrona nomen Domini celebraturus: Ioua nobis magna praestitit, id quod laetamur.

Reliquit haereditatem, summam tredecim millium Thalerorum aliquanto excedentem; praeter domum Vaterianam, heredibus, testamento scriptis, tantum non fiduciariis, legatam. Cuncta haec Legata, sine exceptione vlla, sine detractione cuiuscumque tituli, alias licet legali ac aequa, sine qua retentione aut compensatione, intra sex hebdomadas, definito citius solutionis die ac termino, vltro Legatariis heredes exsoluerunt. Maxima horum Legatorum pars summa 7930. Th. efficiens, ad aedem Academicam perficiendam, ad pias, quae dicuntur, Academiae caussas, ad pios igitur sacrosque usus, usuris inter viduas, pauperesque et eorum liberos instituendos, annuatim distribuendis, reddit. Hoc quidem modo, adiectis non nullis conditionibus. Assignauit igitur, donauit, legauitque, VATERIA,

I) 1050. Thaleros, Aedi sacrae Academicae, ex acerbo suo cincere, post decem crescentium ruinarum annos, magnifice ad vota bonorum omnium, in primisque b. VATERIAE nostrae, resuscitatae; siquidem 50. Thal. tanquam symbolam ad colligendas pecunias 500. Thal. ad Suggestum exstruendum et augenda Arae ornamenta; ante plures annos sponte numerauit: 500. Thal. denique, quos, post mortem exsoluendos, Testamento legauerat,



gauerat, rogata tamen fereque inuita, ad absoluendam tandem omnem Templi ac Turris aedificationem, consumta omni donata, collectaque, pecunia, stipulatis vero sibi, ad dies vitae, usuris, viuens adhuc valensque, annum ante obitum, ad fiscum s. aerarium Templi, numeravit;

- 2) 1080. Th. ad docenda prima doctrinae sanctioris rudimenta, singulis quidem hebdomadibus, in aede Academica, a Ministro huius Templi, vulgo, zur wöchentlichen Catechisation; quod Institutum, probatum omnino, beneque coepit, pulchre succedit, suo fructu, pro spe et expectatione nostra, nunquam caritum.
- 3) 300. Th. ad habendam in Aede Academica sacra, die Paracaeues, post meridiem, concessionem funebrem; quod plium institutum, pro bona spe nostra, prospero successu numquam destituetur.
- 4) 1000. Th. ad Beneficium, s. Stipendium, MARPERGERIANVM, per tres annos continuos, ante omnes alios, Agnatis et Cognatis Gentis MARPERGERIAE, studiorum caussa in Academia nostra degentibus, tum vero, s. Fac. Philos. Adiunctis, siue Theologiae Studiosis, certa habita ultimo perceptionis anno, dieque Testatrixis emortuali, die XXX. Mens. Maii, in eius memoriam Oratione solemni, Fisco Nosocomii, qui dicitur, numerosos, usuris igitur definito tempore ab eodem absoluendis.
- 5) 1000. Th. ad Beneficium, s. Stipendium, VATERIANVM, per tres annos continuos iisdem conditionibus, ante omnes alios, Agnatis et Cognatis VATERIANIS, studiorum caussa in hac nostra Academia degentibus, tum vero Medicinae Studiosis, per tres annos continuos,

nuos, habita, vltimo perceptionis anno, dieque b.
VATERI emortuali, Mens. Nouembr. d. XVIII. in Eius
memoriam Oratione solejni, eidem Fisco Nosoco-
mii numeratos, vsuris itaque definito tempore ab eo-
dem pariter exsoluendis.

- 6) 2000. Th. ad decem, siue etiam duodecim, pias, pauperes,
conditionis honoratioris, Viduas, alendas ac susten-
tandas, singulis annis, denuo eligendas, Fisco No-
socomii eadem conditione numeratos, vt vsuræ
quotannis inter nominatas ipsi viduas, exsoluantur.
- 7) 1000. Th. eidem Fisco Nosoc. numeratos, hac conditione
erogandos, vt 35 Th. inter pauperes, debiles, mor-
bis senioque confectos et membris mutilatos, a Prae-
posito Aedis Sacrae Academicæ nominandos ac eli-
gundos, in Templo nominato, die b. VATERI, XVIII.
Mens. Nouembr. emortuali, tirulo Eleemosynarum
VATERIANARVM, per custodem distribuantur; 12 Th.
totidem Adolescentulis pauperculis, scholas, in primis
que examina, in Templo Academico habenda, quae
dicuntur, Catechetica, diligenter frequentantibus, di-
dacli loco, itidem a Praeposito nominandis, per cu-
stodem erogandos, cui pro hoc studio et labore, re-
liqui 3. Th. quotannis assignati sunt.
- 8) 500. Th. eidem Fisco Nosocom. numeratos, ad duos pau-
peres arque diligentes, Medicinae Studiosos in Conui-
ctu Electorali per tres annos, gratis et sine conferendo
consueto conuictus pretio alendos;

Praeter hanc summam 7930. Th. Legata, duobus ex Fra-
tre Theologo Nepotibus, et Matri eorum viduae, MARPERGE-
RIS, facta, 3000. Th.; duo Legata Confessionario ac Curatori
2000. Th. relicta, cum 100 Th. Custodi Aed. Acad. et 78. Th.



familiae, legatis, efficiunt Summam 5178. Thal., quibus
Summis coniunctis Summa omnium Legatorum 13108. Th.
conficitur.

In indicem beneficarum, pro suis facultatibus, in studi-
sam iuuentutem Academicam, Matronarum, dudum grata re-
fert Academia quatuor potissimum feminas: CATHARINAM,
MARTINI BERGERI, D. Med. Viduam, CAECILIAM n. LEY-
SE AM, ERASMI VNRVHII, P. P. Vid., SABINAM DORO-
THEAM, n. LEYSERAM, CHRIST. DONATHI, P. P. Vid.
IVSTINAM SIGISMUNDIAM, n. DIETRICHIAM, feminam sua
aetate in arte obstetricia expertissimam arque clarissimam; ha-
rumque memoriam sartam ac integrum ad seros posteros con-
seruari curabit. Tanto diligentius custodiet et sanctiorem ha-
bebit Academia, aeternitati commendandam, VATERORVM me-
moriam, quum Dauidico ex pracepto, misericordis et libe-
ralis, benefici, hominis, aeterna esse debeat, ex promisso di-
uino aeterna futura sit, memoria; quo minus, his in terris no-
stris, proque seculi, genio suo indulgentis, consuetudine com-
par munificentiae in pias caussas, Academicas praeferat, ex-
emplum sperandum vñquam, nedum expectandum, fuerit.
Initio nulla re magis pietatem, et memorem tanti beneficij ani-
mum, docebit et ostendet, quam suum faciendo officium, cauen-
doque, ne quod detrimentum pia isthaec instituta capiant; ne
tanta isthaec beneficia, in indignos, in impios ingratosque, con-
ferantur, qui VATEROS sibi patronos optent, cupiantque,
ne dies isti emortuales b. b. ABRAHAMI VATERI et CHRISTI-
NAE MARIAE MARPERGERAE, suis non celebrati honoribus,
constitutis solemnitatibus neglectis, taciti praetermittantur, et tan-
torum beneficiorum memoria paullatim obscureretur, omnisque
demum intercidat. Beata quidem Matrona nostra, vt omnem
ostentationis suspicionem ingenua vitarer, consuetas solennitates

Acade-

Academicas, Programma scilicet publicum, cum elogio plurimum et vitae coniunctum curriculo, semel iterumque deprecata est, nec alio fine, Orationes illas Stipendiatorum sibi suoque marito stipulandas censuit, quam ut collata in se beneficia tanto rectius collocare, suosque profectus edito quo specimine publice ostendere, admoniti teneantur. Nos vero, inuita etiam VATERIA nostra, grati esse possumus, et recepta ab ea beneficia haud melius immortali retinere memoria, quam Eius cum Marito, imaginem in atriis nostris celebratissimis, ipsius forsan Templi nostri Sacello, s. Choro Professorio, suspendendo, et curiosorum, peregrinantium maxime ac hospitum, oculos, in haec summae beneficentiae exempla conuertendo. Monimenti, in proximo quo pariete erigendi, tabulae lubentissime hoc elogium inscribi forsan permitte:

HOC ERAT IN VOTIS MARPERGERAE ATQVE VATERO
 HOC RVRSVS IVNGI POST SVA FATA LOCO
 OFFICIO FVNCTA EST ACADEMIA PROMTA PERENNI
 HIC SIT VT EXEMPLO CONIVGIALIS AMOR
 CARMEN ET INSCRIPSIT TVMVLO GRATISSIMA NOBIS
 SANCTA VATERIADVM NOMINA SEMPER ERVNT
 NAM SIC DE TEMPLO HOC MVSIS VIDVISQVE ET EGENIS
 NOSTRIS HAVD QVEMQVAM PROMERVISSE SCIAS.

Interea praesenti hoc officio lubentissime defungor, et Orationem in die emortuali b. ABRAHAMI VATERI nostri habendum, ex instituto b. VATERIAE publice indico. Recitat illam dicto XVIII. mense Nouembr. die, hora ante meridiem IX.
 in



in Auditorio Maiori, vir iuuenis nobilissimus, CHRISTIANVS
 AVGVSTVS LANGGVTHIVS, Wittenbergensis, AA. M. et Medicinae
 Candidatus, cui b. VATERIA beneficium VATERIANVM, omnium
 primo quatuor annos testamento legauit; tantamque Patronae
 suae, Matris instar semper cultae ac obseruatae, beniuolentiam
 ac benignitatem, de officio iuuenum, curam corporis quam dili-
 gentissime agendi, dicturus celebrabit, patris ad exemplum,
 gratissimus. Quem Oratorem vt benigne audiant, eumque
 praesentes ac frequentes, quod maxime in votis habet, ornent,
 animum ipsi addant, et ad maiora, olim tentanda, excitant,
 hoc igitur nomine ac spe, ILLVSTRISSIMVM COMITEM, PRO-
 CERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE, FAVTORES et AMICOS, CI-
 VES NOSTROS GENEROSSISSIMOS AC NOBILISSIMOS, qua-
 decet, obseruantia et humanitate, rogamus et inuitamus.

P. P. Domin. XXII. post Festum SS. Trinitatis A. R. S.
 CICICCLXXVIII.

WITTENBERGAE
 LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

